



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De ordinatis, si ante vel post ordinationem in criminalibus peccatis
deprehensi fuerint. cl.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tur, & iste sacer conuentus statuit. Sic omnibus nobis obferuare placet. Vt si quis iustas measuras, & iusta pondera lucri causa mutare praesumpserit, in pane & aqua viginti dies poeniteat.

De matre quae infantem suum iuxta ignem posuerat, & sua negligentia mortuus est.

Caput CXLIX.

Ex cōcil. Triburi. cui interfuit rex Arnolphus, cap. 14. Ex cōcil. Hilerdēsi cap. 10.

MAter si iuxta focum infantem posuerit, & alius homo Maquam in caldariam miserit, & ebullita aqua infans superfusus mortuus fuerit, pro negligentia mater poeniteat, & ille homo securus sit.

De ordinatis si ante vel post ordinationem in criminalibus peccatis deprehensi fuerint. Cap. CL.

DE his ergo visum est nobis conscribi qui sacros ordines in capitalibus criminibus se esse profitentur, in quibus ut mihi videtur haec distantia esse debet, ut hi qui deprehensi vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atq; fornicatione, & ceteris huiusmodi criminibus, secundum sacrorum canonum instituta à gradu proprio deponantur: quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere, quae ultra modum vitiosas constar esse. Nempe inde detrahuntur homines à sacrificio Dei, sicut quondam filiis Heli peccantibus fecisse leguntur, & rebelles hinc atque contrarij existentes, eorum prauis exempli quotidie peiores fiunt: qui autem de praedictis viris per occultam confessionem mala à se abscondè commissa coram oculis Dei, praesente etiam sacerdote, qui eis indicturus est poenitentiam, confitentur, & semetipsos grauius deliquisse accusant, si veraciter poenituerint, & se per ieiunia, & elemosinas, vigiliisque acque sacras orationes cum lachrymis purgare certauerint, huiusmodi tiam gradu seruato spes veniae de misericordia Dei promittenda est, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire: neque vult mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & viuat.

De viris ordinatis, quorum occulta peccata sunt.

Caput CLII.

Ex cōcil. Toletan.

DE viris ordinatis quorum occulta peccata sunt, nec manifestè ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis suis confessionem episcopo siue presbytero offerant.